



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 545. An & qualiter mutuo consensu solvatur vinculum obligationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



*x. ff. de acceptil.* Lauterb. l. c. Acceptum verò facere possunt illi soli, qui ipsi sunt creditores, habentes administrationem rerum suarum. Lauterb. l. c. §. 5. Siru. Muller. *cit. th. 91.* unde, ut iidem, id non possunt tutores, curatores, procuratores non nisi per indirectum juxta dicta paulò ante; quia etsi illi sint loco creditorum, non tamen ipsi sunt creditores, sed neque ipsi pupilli, minores & c. sine autoritate tutorum & c. & si id fecerint, & debitor interim solverit, convictio indebiti locum non habet; cum hoc casu acceptilatio sit nulla, & pecunia rectè soluta, Muller. *cit. th. 91. lit. i.* cum Brunem. *ad l. 1. c. de acceptil.* ut è contra conditioni locus est, si id fecerint cum autoritate tutorum. Ea quæ accepto haberi seu ferri possunt, sunt obligationes præexistentes contractæ verbis, ita ut, si alia obligatio acceptilata fuerit, de jure communi non valeat ut acceptilatio, nec obligatio ipso jure extinguatur, sed debitor exceptione doli vel pacti conventi, de non petendo cujus vim habet acceptilatio, ratione formæ vel materiæ inutilis se tueri potest (quod tamen distinguit Zoës. *in ff. de acceptil. n. 5.*) Muller. l. c. *th. 90. lit. u.* Lauterb. l. c. §. 6. sive de cætero obligationes illæ sint puræ, sive conditionatæ, licet enim conditio obligationem suspendat, & ante impletionem non existat debitum, tamen quod in diem vel sub conditione debetur, acceptum haberi potest, ita tamen ut acceptilatio ipsa purè fiat, l. 4. §. 5. *ff. de acceptil.* (utpote quæ dilationem in diem aut conditionem recipere nequit. Muller. l. c. *lit. 9.*) & tunc demum effectum obtineat, si conditio exstiterit, vel dies advenerit. l. 12. §. 21. *ff. de acceptil.* ita Lauterb. §. 6. Secundò sunt ea tantum, quæ debentur, & non unum pro alio, nec plus quam debetur; etsi superflua adjectio non vitiet negotium; potest tamen pars accepto ferri, modo in stipulationem non sit adductum, quod divisionem non recipit. Lauterb. *cit. §. 6. infine.* denique forma ejus ferè consistit in dicta interrogatione debitoris & responsione creditoris, facta verbis solennibus. v. g. quod ego tibi promisi vel debeo, habesne acceptum? creditore respondente: habeo. Verùm hæc ad aliqualem theoreticam cognitionem acceptilationis sufficiant; cum, ut Hahn, apud Muller. *cit. th. 90. lit. b.* hodieum in stipulatione & acceptilatione solennia illa interrogationis & responsionis necessariò observanda non sint ex consuetudine generali, & in effectu parum referat, an stipulationem (idem est de acceptilatione) ut stipulationem, an ut nudum pactum valere quis velit; cum & de jure canonico & moribus nostris etiam ex tali pacto actio competat Brunem, etiam *ad l. 2. C. ult. ff. de acceptil.* dicat, hodieum exiguum esse acceptilationis usum; cum pacti liberatorii & acceptilationis veterum unus idemque effectus sit. & *ad l. 8. ff. eod.* affirmet nullum esse discrimen inter tale pactum & acceptilationem. imò Cyprian. Fagn. *in censur. belg. ad 2. §. Inst. quib. mod. toll. oblig.* affirmet, nostris moribus in usu non esse acceptilationem, nec ullam inter eam & pactum de non petendo servari differentiam. eademque ferè dicant Gudelin. *de jur. noviss. l. 2. c. 5.* Carpz. p. 2. c. 19. d. 17. Bocet. & alii apud Mullerum. l. c.

*Quæst. 545. An & qualiter mutuo consensu solvatur vinculum obligationis.*

**R**esp. Contraria voluntate seu mutuo consensu solvitur ipso jure vinculum obligationis, dum nimirum utrimque placet, ut à contractu mutuo consensu inito, re integra, vel certè omnibus, quæ acta sunt, retroactis seu restitutis rursus abeat. Stru. *in ff.*

*de solut. th. 80. lit. a. & seq.* firmissima enim est regula; quòd ab omni conventionè per contrariam utriusque partis voluntatem licitum sit recedere, modò res sit integra; cum nihil tam naturale, quam unumquodque eo modo resolvi, quo colligatum est juxta. l. 35. *ff. de reg. jur. junct. à l. 153.* atque ita hodieum utriusque partis contrahentium consensu à quovis pacto obligatorio & à contractu recedi potest, legibus hac ratione solentibus præcipitantiæ hominum succurrere, ne obstructum juris rigorem in damnum incidant, improvidè se gerentes in conventionibus suis. Muller. *in stru. cit. th. 80. lit. b.* quem vide ostendentem & declarantem idipsum in pluribus, nimirum in pactis liberatorii, in contractu emptionis, venditionis, in contractu societatis, pignoris, mandati & c. Quoad hoc verò, quando nam res dicatur integra, in genere illud dici potest, quòd in specie Muller. applicat contractui emptionis; nimirum quòd extra dubium sit, usque ad perfectionem contractus omnia esse integra; cum hoc casu non sit contractus, sed nudi tractatus, qui ex natura sua non sint obligatorii. ex quo autem perfectus est contractus ratione finis seu implementi (qualis v. g. in contractu emptionis & venditionis est post factam rei traditionem & pretii solutionem, sive ab utraque parte sive ab alterutra factum debet utrum) res amplius integra dici non potest. Ex quo verò perfectus est ratione essentiae, nimirum per utriusque contrahentium consensum, hoc consensu declarato, res non sit integra, quantum ad alteram partem, seu respectu unius partis contrahentium, ac ita dissolvi nequeat, nisi utraque parte consentiente. de cætero rem esse integram dicit Muller. l. c. quando res, seu quòd idem est, jus seu causa in eodem statu juridico permanet, ita ut aliam juris dispositionem non ingrediatur, licet enim res aliam mutationem subeat, juris tamen relatione, & quòd ad respectum illum, quòd ad alium refertur, eandem in jure retineat qualitatem.

*Quæst. 546. An & qualiter extinguatur debitum compositione facta inter creditorem & debitorem.*

**R**esp. Dubium non esse, posse debitorem ita componere se cum creditore, ut soluta ei parte debiti, reliquum sibi remittatur ob inopiam solvendi totum, ut supponunt AA. & constat ex antecedentibus. An verò maneat debitor liber à præstanda integra solutione, si ad pinguiorem fortunam revertatur, ita ut possit commodè integre solvere, in eo non ita conveniunt AA. affirmat Bonac. cum aliis *de restit. d. 1. p. 2. num. 6.* de Lugo tamen *cit. d. 21. num. 49.* id ita distinguit, ut procedat, si revera debitor isto tempore impotens solvere totum, offerat illam partem, nullo pacto aut conditione addita, sive residuum remittatur, sive non, & postea proposità suà inopià petat liberationem & sponaneam remissionem residui. si verò fiat, ut communiter fieri solet, quòd creditores, ut recipiant saltem partem illam, consentiant remissioni residui, à quo qui non consenturi, si scirent & sperarent debitorem reversurum ad meliorem fortunam, ait de Lugo, vereri se, nam justè non solvatur residuum in casu melioris fortunæ. si tamen creditor liberè ex misericordia absolutè consentiat remissioni residui. valet remissio sine onere solvendi postmodum, ubi debitor evadit ditior. de Lugo. l. c. remittens ad Sanchi, *de matrim. l. 4. d. 9. n. 17.* Vide eundem pluribus de eo, quando pactio

Bbb 3 illa